Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 473
Quelle:
Copyright:

facile agnoſcitur &c. et extat T. I. edit. mere lat. *Lugd.* 1687. p. 206. f. per cujus Editionis *Tomos* VI. et ſubſequi Sermones diſperſi ſunt, quos omnes ſuis paginis deſignare, operae pretium mihi viſum non eſt. A *fol.* 77. p. 2. ſuccedunt alia Ejusdem Opuſcula: *De Reparatione Lapſi. De Compunctione prima et ſecunda. De Pſalmo quinquageſimo. De eo, quod ſcriptum eſt: Vae mundo a ſcandalis. De eo, quod nullus ledit aliquem, niſi prius ipſe ſe leſerit. De penitentia*, quae pariter, praecipue T. V. praedictae Editionis continentur, et a nobis jam alias etiam relata ſunt. Ad calcem legas: *Anno domini Milleſimo Quadringenteſimo XXX^mo.*

II. *fol.* 109. ſequitur: *De titulo triumphali et laude nominis ieſu. Secundum Berardinum de Senis ſermo.* Virum hunc ex O. M. anno 1444. vivis exemtum inſignem fuiſſe propagatorem cultus venerandi hujus Nominis, notum eſt, teſtanturque in hanc diem Aedibus apud nos quibusdam praefixae radiatae literarum IHS Effigies a *Joh. Capiſtrani* ejus Diſcipuli temporibus. Sermo praeſens extat *Tomo IV. Opp. Lugd.* 1650. p. 8. f. inſcriptus *de Circumciſione Domini.* Verum totum ibi deeſt, quod *tres* nobis columnas occupat, Exordium. Ita Editores ſaepe aut imperfecta ſequuntur Exemplaria, aut agunt pro arbitrio. In edit. Thema ponitur: *Vocatum eſt nomen Jeſu. Luc. 1.* nobis vero: *Jeſus nazarenus rex iudeorum. Joh. 19.* tum ita inchoatur: *Ad laudem et gloriam nominis regis noſtri ihesu chriſti tractaturi de titulo triumphali tria circa hoc ante omnia prenotemus. Primo titularem occaſionem. Secundo litteralem variationem. Tercio diuinalem diſpenſationem.* Haec porro ſingula fuſe ediſſeruntur ne verbulo quidem facto de *Circumciſione*, dum tandem in iis verbis: *Primo quidem nomen regis ihesu dulcoroſum eſt propter ſpem veniae* &c. Codex et Edita concurrant. Sed et hic praepoſtera criſi uſus Editor τὸ *dulcoroſum* in *dulciſſimum* mutavit, ignarus nempe, quam ſtudioſi fuerint Oratores illius aevi Partitionum ὁμωτελευτων, ut hic *Dulcoroſum, Gratioſum, Glorioſum.*

CCLXX.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 45. 8. nitide exaratus, titulisque olim miniatis inſignitus, quos tamen putidus quidam homuncio penitus abraſit, complectitur *Opuſcula* ſeu *Sermones* VI. S. *Ephraem Syri Niſibeni* clari Sec. IV. Scriptoris, cujus Operum ſplendidam habemus Editionem *ſyr. graec.* et *lat. Romae* 1732—46. T. VI. f. Et mature quidem Viri celebritas et Scriptorum praeſtantia interpretes in utraque lingua nacta eſt, quorum nec nomina tenemus. Hos inter cenſetur is, qui Opuſcula noſtra Latio donavit; non enim, quae *Codicis* aetas eſt, aut ad *Ambroſium Camald.* aut ad *Petr. Fr. Zinum*, qui quaedam *Ephraemi* traduxe- R. 75